

§. XIV.

250

Lustrata Definitione, nec non constituta Causæ Moralis Causalitate, recta absque ulla ambagibus progredimur ad species, aut veluti alii loqui amant ad modos ejusdem, perinde enim esse putamus five vocitentur species five modi, de hoc enim nulli item movebimus. Ut verò quid certi habeamus, secundum quod harum specierum seriem enarrare possimus, lubet juxta ordinem istius distichi procedere, quod communiores & potissimum Causæ Moralis modos exhibit, quod in Weissi Compend. Metaph. ita se habet.

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus.

Participans, Mutus, non obstante, non manifestans.

In qvibus versibus, licet non omnes, Communiores tamen sifuntur modi, ita ut nullus ibi contineatur, qui non causæ Moralis rationem habeat, vel cui non æstimatione prudentum effectus imputatio adscribi possit. Species Causæ Moralis est, **Directa Volitio**, seu velle directe, cum quis directe effectum vult, & propterea aliud agens ad illum producendum inducit, licet ipse reali influxu in eundem non influat. Dicitur autem notanter directè velle, quod quis explicite vult, ita ut non tantum sit volitum in causa, sed ut ex hac voluntate quoque habeat ortum ad distinctionem τῆς indirectè velle, cum quis exhibet causam, ex qua quidem effectus sequi potest, non tamen semper sequitur, & si accidit, implicitè ac indirectè voluisse dicitur. Illud autem, Directè velle peragitur juxta Thomam in l. 2. q. 62. art. 7. multis modis. (α) mandando s. jubendo, five expressis verbis five signis tacitis, quibus ostendit sibi placere factum. Calculum suum nobis hac in parte adjiciunt Jure Consulti, apud quos pro homicida habetur, five propria manu spoliationem & inde insecurum homicidium peregerit, five astu insidiis & dolo malo occisoris ansam ad interimendum præbuerit; nam ut Wesenbecius in paratitl. 1. ff. ad leg. Corn. de sicariis statuit, item Harprecht ad leg. Cornel. de sicar. n. 77. delictum mandantis & mandatarii unum & idem esse quoad effectum, qui inde sequitur, dicit enim expresso Wesenbec. l. cit. Mandatum hic equipollit facto, nec diversa bac

C

sunt,